

gressus, ut quidam dicunt. Sed potest propria auctoritate ingredi claustrum. Ergo &c.

3. Præterea. Votum temporale excedit à perpetuo sola duratione. Sed aliquis potest propria auctoritate commutare votum temporale peregrinationis in votum perpetuum religionis, ut dictum est. Ergo eadem ratione potest mutare propria auctoritate votum minus diuturnum in votum diuturnius, sicut minoris peregrinationis in maiorem.

Sed contra. Commutatio est quædam dispensatio. Sed nullus potest propria auctoritate dispensare in voto suo. Ergo nec commutare.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod circa hoc sunt diversæ opiniones.

Quidam enim dicunt, quod quodlibet votum potest per prælatos Ecclesiæ dispensationem habere pro libito prælati: quia, ut dicunt, in quolibet voto intelligitur conditionaliter voluntas prælati superioris, scilicet Papæ, ad cuius dispensationem pertinent actus subditorum omnium: & ideo cum voluerit, ille summus prælatus, poterit relaxare obligationem voti, ut non teneatur votum implere, quia conditio non extat. Sed hoc non videtur bene dictum: quia quædam sunt, in quibus est homo ita liber sui, quod etiam contra præceptum Papæ potest illa facere, sicut continere, & alia consilia divina: unde absolute & sine conditione voluntatis alicujus prælati potest alia vovere.

Et ideo alii dicunt, quod nullum votum recipit dispensationem secundum quod dispensatio est juris relaxatio, sed secundum quod est juris declaratio: quia Papa potest declarare hoc jus, quod quando fit recompensatio majoris boni, potest dimitti minus bonum ad quod se quis obligavit. Sed hoc etiam non videtur verum: quia declarare jus non est novum jus facere, sed illud quod in jure erat, manifestare. Unde secundum hoc nunquam per dispensationem voti fieret non contra jus quod erat prius contra jus, sed solum quod videbatur contra jus, & non erat.

Et ideo aliter dicendum, quod in voto potest dispensari etiam secundum quod dispensatio est juris relaxatio ex aliqua legitima causa. Quia enim votum de illicito esse non potest, non autem licet subtrahere alicui quod ei debetur, ideo per votum alicujus non potest fieri præjudicium suo prælato, quin debeat ejus mandatis parere, cum fuerit opportunum: unde si prælatus videat expedire aliqua rationabili causa, vel propter ipsum qui vovit, vel propter alios, quod votum non servet, potest eum ab observatione voti deobligare, qui alias de jure obligatus erat.

Ad primum ergo dicendum, quod ad ea quæ cadunt sub voto communi, non solum obligatur aliquis ex voto, sed ex lege naturali, & præcepto divino: & ideo ex parte ista est quod non possit habere dispensationem, sicut alia vota.

Ad secundum dicendum, quod observare votum durante voti obligatione, est de lege naturali; sed cessante obligatione voti non est observatio ejus de lege naturali. Cessat autem ejus obligatio vel ex se, ut quando servatum vergeret ad deteriores exitum; & tunc per declarationem superioris, si facultas petendi adsit, debet observatio voti prætermitti: vel ex auctoritate superioris, qui aliud magis necessarium iudicat, & in voto dispensat. Nec tamen ex hoc homo mendacium incurrit, quod votum non servat in tali casu: quia homo de futuris debet habere pias condi-

tiones adjunctas, vel explicitè, vel implicite, ut patet Jacob. v.

Ad tertium dicendum, quod de voto continentie est duplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod nullus potest dispensare; sed hujusmodi ratio diversa redditur à diversis. Quidam enim dicunt, quod hoc ideo accidit, quia votum continentie non potest prætermitti sine hoc quod ad contrarium voti aliquis delabatur, quod nunquam licet. Sed votum paupertatis potest prætermitti aliquo modo qui non directè erit contra votum, sicut cum aliquis habet pecuniam non suo, sed Ecclesiæ nomine. Sed hoc nihil est: quia sic votum de abstinendo aliqua die determinata à carnibus, non reciperet dispensationem, aut votum de peregrinatione, quod est absurdum. Et ideo alii assignant aliam rationem, dicentes, quod hoc convenit, quia votum continentie non recipit recompensationem, melioris, eo quod non est digna ponderatio animæ continentis: vel ideo quia per continentiam homo de domestico inimico triumphum capit, ut quidam dicunt: vel ideo quia per religionem homo perfectè conformatur Christo. Unde in voto continentie, quod in voto religionis includitur, & in aliis votis essentialibus religioni non potest dispensari, ut quidam dicunt. Sed hoc etiam non videtur sufficienter dictum: quia bonum commune est multo melius quam bonum privatum, propter quod etiam homo interdum ab horto sanctæ contemplationis removeret, quæ optima pars est iudicio Domini Luc. x. ut communi utilitati proximorum vacet.

Et ideo alii dicunt probabilius, si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius regni, vel provincie exposcerent, posse convenienter & in voto continentie, & in voto religionis dispensari, quantumcumque esset solemnizatum: non enim per votum potest se homo deobligare ab eo in quod tenetur alteri, ut dictum est: unde talis posset imminere necessitas quod posset alicui justè prohiberi ne continentiam, aut religionem voveret, & eadem necessitate manente potest etiam in voto dispensari jam facto.

Sed quia rationes in contrarium factæ non rectè procedunt, ideo dicendum ad quartum, quod bonum continentie est multo dignius quam salus corporalis: & ideo periculum corporalis mortis non est sufficiens ratio ut in voto continentie dispensetur: unde etiam non peccat in tali casu existens quod continentiam videretur vergere in periculum personæ, si continentiam voveat, præcipue cum possit illi periculo per alia remedia obviari; sicut non peccat qui propter aliquod opus virtutis se mortis periculo exponit.

Ad quintum dicendum, quod cum illis qui assumuntur à statu religionis in statum prælationis non dispensatur in principalibus votis religionis: quia illa quæ possidere videntur, non suo nomine, sed Ecclesiæ possident: unde nihil per hoc præjudicatur voto paupertatis: similiter nec voto obedientie, quia obedientia respicit statum prælationis in altero cui obedire tenetur. Et ideo quod ille qui sub prælato esse desistit, non teneatur alicui obedire, non est ex hoc quod obligatio voti deficiat ex parte voventis, sed quia subtrahitur prælatio ex parte altera cui obedire tenebatur. Unde monachus, qui Abbatem obedientiam promittit, si ipse fiat Abbas, non tenetur obedire alteri Abbatem, quia jam non habet Abbatem.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod pleni-

tudo potestatis in dispensando residet penes summum Pontificem; alii autem participant de hac potestate quantum eis concessum est, ut quia omnes ad unum recurrere non possunt, per inferiores dispensationem recipere possint: unde in votis illis quæ non de facili dispensationem recipiunt, nec frequenter, sed raro, sicut votum religionis, & alia hujusmodi vota perpetua, solus Papa dispensare potest; in aliis autem temporalibus votis, sicut peregrinationum, & jejuniorum, & hujusmodi, possunt etiam Episcopi dispensare, nisi aliquid horum sibi Papa reservaverit, sicut dispensatio in voto terræ sanctæ.

Ad primum ergo dicendum, quod non quicquid utile est subdito, potest sibi per prælatum quemlibet adhiberi, sed majora majoribus reservantur; sicut non quilibet medicus potest cuilibet morbo occurrere, sed in periculosioribus morbis peritiores medici requiruntur.

Ad secundum dicendum, quod quamvis omnes sint dispensatores mysteriorum Dei, non tamen æqualiter: & ideo non oportet quod omnes in omnibus dispensare possint.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod inter commutationem voti & dispensationem hoc interest, quod quando votum commutatur, vovens absolvitur ab uno, & ligatur ad aliud; sed quando in voto dispensatur, simpliciter à voto absolvitur sine hoc quod ad aliud ligetur: unde minus importat voti commutatio quam dispensatio: & ideo cum ex causa rationabili in voto dispensari possit: potest etiam votum commutari, vel quia illud in quod fit commutatio, est melius, vel quia est minus periculosum.

Ad primum ergo dicendum, quod animal immolationis ex ipso voto destinabatur ad cultum Dei: & ideo jam quodammodo sanctum erat, & propter hoc non poterat ad communes usus deduci. Et similiter etiam nunc si aliquis voveret religionem intrare non potest alium ponere loco sui in religione: similiter etiam si voveret ire in terram sanctam, non potest alium loco sui mittere, nisi per dispensationem superioris. Secus autem in aliis votis, in quibus persona determinata non destinatur ad speciale cultum Dei.

Ad secundum dicendum, quod Bernardus loquitur consulendo: quia quandoque ex animi levitate quidam ad statum alium transeunt sub specie arctioris vitæ: & ideo tuius est quod fiat consilio, & licentia superioris prælati; præcipue si non credat quod ipse impedimentum irrationabile præteret.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod in commutatione est quidam contractus, qui non potest perfici sine consensu utriusque partis: unde cum homo per votum Deo se obliget: non potest fieri immutatio voti, nisi interveniat consensus ejus qui vicem Dei gerit in terris, scilicet prælati; nisi forte unum votum ab alio includatur. Et quia votum religionis includit omnia alia vota tum ratione perpetuitatis, tum ratione obedientie, qua homo voluntatem suam Deo tradit, per quam sui, & omnium dominus esse potest: ideo ille qui aliquid votum temporale fecit, potest non requisita alicujus prælati dispensatione religionem intrare, non obstante voto præcedente, quod ingressum religionis impediret, puta

In IV. Sent. Tom. V.

peregrinationis, vel alicujus hujusmodi. Si autem duo temporalia vovit, quorum utrumque est alteri commpossibile, debet utrumque servare, nisi forte auctoritate superioris minus votum præcedens in majus sequens commutaverit. Si autem secundum votum sit omnino impossibile primo, debet servare majus, & de minori secundum arbitrium prælati satisfacere.

Ad primum ergo dicendum, quod votum terræ sanctæ obligat hominem ad servandum Deo temporaliter, & quantum ad determinatum tempus; sed votum religionis quantum ad omnia, & secundum omne tempus: & ideo quodammodo est ampliatio voti magis quam commutatio.

Ad secundum dicendum, quod quia per introitum religionis homo moritur priori vitæ, ideo illa vota quæ vovit in sæculari vita explenda, non tenentur exolvere ex quo religionem intrat, & præcipue quia singularitas in religionibus est periculosa, & onus religionis adeo gravat quod non manet eadem facilitas ad observandum votum quæ in sæculari vita erat. Tamen quidam dicunt, quod debet prælato suo exponere, & ille pensatis conditionibus personæ, & voti, poterit cum eo dispensare. Sed secundum alios hoc non exigitur: quia ex ipsa vi voti religionis à prioribus votis est absolutus rationibus dictis.

Ad tertium dicendum, quod perpetuum votum respicit omne tempus, & ideo non manet aliquod tempus post ejus expletionem quo possit aliud votum temporale impleri; sicut manet tempus ad implendum votum magis diuturnum post votum minus diuturnum: & propter hoc non est simile.

ARTICULUS V.

Utrum virginibus voventibus continentiam debeatur speciale velum præ aliis quæ continentiam voverunt, & corruptæ sunt.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod virginibus voventibus continentiam non debeatur speciale velum præ aliis quæ continentiam voverunt, & corruptæ sunt. Quia tam virginitas quam continentie votum viris & mulieribus communia sunt. Sed viris in virginitate continentiam voventibus nihil aliud datur quam aliis qui virginitatem perdidit. Ergo nec virgines debent præ aliis speciale velum accipere.

2. Præterea. Signa in nova lege non sunt inania, sed fructuosa: quia sacramenta novæ legis gratiam conferunt. Sed virginale velum non videtur esse fructuosum, quia gratia non confertur in ipso; alias esset sacramentum, & deberet corruptis dari, quæ etiam indigent auxilio gratiæ ad continentiam conservandam. Ergo videtur quod virginibus non debeatur aliquod velum speciale præ aliis.

3. Præterea. Consecratio quæ adhibetur viris in susceptione ordinis, est major quam illa quæ adhibetur mulieribus in velatione. Sed consecratio ordinis non exigit virginitatem in consecrato. Ergo nec mulieris velatio.

4. Præterea. Nullus debet pro pœna quam sustinuit, iterum puniri. Sed aliquando mulieri pro pœna infertur quod corrumpatur: sicut patet in his quæ omnino per violentiam corrumpuntur. Ergo non debet talibus ad minus virginale velum donari.

5. Præterea. Quandoque si virginale velum corruptæ denegetur, sequitur scandalum astancium, &

periculum homicidii; sicut cum aliqua est occulte corrupta. Ergo videtur quod saltem in tali casu virginali velum aliis quam virginibus dari debeat.

Sed contra. In officio Ecclesie non decet esse aliquam falsitatem. Sed in toto officio quo velantur virgines, fit mentio de carnis integritate, ut patet diligenter inspicenti. Ergo non debet velum virginali corruptis dari.

Præterea. Per velationem mulier quodammodo Christo desponsatur, qui est dignior quam pontifex aliquis veteris legis. Sed in veteri lege pontifici non licebat aliquam nisi virginem desponsare. Ergo non debet aliqua nisi virgo velari.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ea quæ corporaliter in Ecclesia aguntur, signa sunt spiritualium. Sed quia corporale signum non sufficienter representare potest spirituale signatum, oportet quandoque quod ad eandem rem spirituales signandam plura signa corporalia aptentur. Matrimonium ergo spirituale Christi & Ecclesie habet & fecunditatem, per quam regeneratur in filios Dei, & incorruptionem, quia Christus elegit sibi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ut dicitur Ephes. v. unde dicitur (II. Corinth. xi. 1.) *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Sed corporalis fecunditas integritatem carnis non patitur: & ideo oportuit diversis signis representari spirituale conjugium Christi & Ecclesie quantum ad fecunditatem, & quantum ad integritatem. Sicut ergo per matrimonium carnale representatur matrimonium spirituale quantum ad fecunditatem, ita oportuit aliquid esse quod representaret prædictum spirituale matrimonium quantum ad ejus integritatem; & hoc fit in velatione virginum, sicut per omnia quæ ibi proferuntur, & geruntur, ostenditur: & propter hoc solus Episcopus, cui cura Ecclesie committitur, virgines desponsat, velando non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranympus, & amicus. Et quia integritatis significatio plene potest esse in continentia virginalis, sed incontinentia vidua est semiplena, propter hoc etiam viduis datur aliquod velum, non quidem cum illa solemnitate qua virginibus datur.

Ad primum ergo dicendum, quod Ecclesia in matrimonio spirituali se habet ut sponsa, Christus autem ut sponsus: per votum autem continentie anima Christo desponsatur: unde non competit ut hæc desponsatio significetur in viro, sed in muliere tantum.

Ad secundum dicendum, quod in consecratione virginum, sicut & in unctione Regum: & in aliis hujusmodi benedictionibus gratia datur, nisi sit impedimentum ex parte suscipientis; sed tamen hujusmodi sacramenta non dicuntur, quia non sunt instituta ad curationem morbi peccati, sicut alia sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod in ordinis susceptione non consecratur aliquis in sponsum, sed in ministrum sponsi: unde non requiritur virginitas ad significandam integritatem spiritualis matrimonii, sicut requiritur in velatione ejus quæ consecratur in sponsum.

Ad quartum dicendum, quod illæ quæ per violentiam corrumpuntur, si nullo modo consentiant, virginitatis gloriam quoad Deum non perdunt. Sed

(1) Vulgata: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel.

quia valde est difficile quod in tali defectatione aliquis placentie motus non insurgat, ideo Ecclesia quæ de interioribus judicare non potest, cum exterius corrupta sit, eam inter virginines non velat: unde Leo Papa dicit, epist. lxxxviii. cap. v. *Illæ famulæ Dei quæ integritatem pudoris oppressionibus barbaricis perdidit, laudabiliores erunt in humilitate & verecundia, si se incontaminatis non audeant copulare virginibus*.

Ad quintum dicendum, quod nullo modo illæ quæ sunt corruptæ occulte sive à viris, sive alio modo, sunt velandæ: quia propter vitandum scandalum non debent Ecclesie sacramenta, vel sacramentalia variari. Sed, sicut quidam dicunt, potest aliqua cautela adhiberi ad vitandum scandalum, ut scilicet illa quæ non sunt de substantia virginalis veli (ut accensio candelarum, & alia hujusmodi) fiant, mutatis occulte his quæ sunt de substantia in tanta virginalis veli, puta ut quod nomen virginitatem varietur.

QUESTIO II.

Deinde queritur de scandalo: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo. Quid sit.

Secundo. Utrum sit peccatum.

Tertio. Quibus competat.

Quarto. Quæ sunt dimittenda propter scandalum.

ARTICULUS I.

Utrum convenienter assignetur definitio scandali.

2. 2. quest. xlvi. art. 1.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter assignetur definitio scandali, quæ sumitur ex Glosa (interlineali) Matth. xviii. super illud: *Vae mundo à scandalis*, scilicet: *Scandalum est dictum, vel factum minus rectum præbens aliis occasionem ruinæ*. Scandalum enim dividitur in activum, & passivum. Sed hæc definitio non potest convenire scandalo passivo. Ergo non convertitur cum definito; & sic est incompetentis.

2. Præterea. Num. xxxi. super illud: *Ulciscere prius filios Israel &c.* dicitur (ex Origine hom. xxv.) quod scandalum est, cum recte ambulanti deceptio submittitur ad ruinam. Sed non omne dictum, vel factum minus rectum est deceptio. Ergo scandali definitio est incompetentis assignata.

3. Præterea. Sicut peccatum oris, & operis potest alteri præstare occasionem ruinæ; ita & peccatum cordis, præcipue quando per exteriora signa in notitiam aliorum prodit. Sed in diffinitione præmissa tangitur peccatum oris: & operis, non autem cordis. Ergo inconvenienter assignatur.

4. Præterea. Occasio significat causam per accidens. Sed etiam bona interdum per accidens sunt causa malorum. Ergo non solum dictum, vel factum minus rectum præbet alteri occasionem ruinæ, sed etiam si sit rectum, debet dici scandalum.

5. Præterea. Isai. viii. 14. dicitur de Christo: *Erit (1) in lapidem, & in petram scandali*. Sed in Christo non fuit aliquid minus rectum. Ergo non est de ratione scandali quod sit aliquid minus rectum.

SO-

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod scandalum nomen græcum est, & impactionem significat in latino: quæ quidem proprie dicitur in corporalibus, in spiritualibus autem transumptive. Unde oportet quod spirituale scandalum, de quo loquimur, sumatur ad similitudinem corporalis impactionis; quæ quidem non fit, nisi ambulanti aliquid in via obiciatur quod ei sit occasio cadendi, etiam si non cadat. Nihil autem ab alio factum, est natum casum facere ejus qui in via Dei ambulat, nisi sit aliquid minus rectum in notitiam ejus procedens vel verbo, vel facto: & ideo dictum, vel factum minus rectum est id ad quod spiritualiter fit impactio, & occasio datur alterius ruinæ, in quo ratio consistit scandali.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in corporali impactione est duo considerare, scilicet ipsam impactionem cadentis, aut ejus qui ad casum disponitur, & illud ad quod fit impactio, quod dicitur obex; ita & in spirituali: & utrumque nomen scandali accipit, sed non univoce: sicut etiam fides dicitur ipsa res credita, & actus credendi. Ipsa ergo spiritualis impactio, qua aliquis ad casum disponitur, dicitur scandalum passivum; sed obex spiritualis ad quem fit impactio, dicitur scandalum activum: & sic diffinitur hic scandalum, quia ex dicto, vel facto minus recto aliquis ad ruinam disponitur.

Ad secundum dicendum, quod tunc aliquis per se loquendo peccatum aliquod facit: quando ex intentione operatur, & non quando præter intentionem ejus peccatum accidit, sicut patet in homicidio casuali: & ideo tunc proprie aliquis scandalum facit quando ruinam proximi procurare intendit. Quicumque autem ad peccandum inducitur, decipitur: quia omnis malus ignorans, ut Philosophus dicit in III. Ethic. & ideo ubicumque est scandalum per se loquendo, dictum, vel factum minus rectum est deceptio quædam, submittitur ambulanti ad ruinam. Vel dicendum, quod dicitur esse deceptio, in quantum est deceptionis occasio, vel causa: quia omnis peccans decipitur, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod spiritualis obex, qui scandalum dicitur, oportet quod in via ambulanti obiciatur, quod fit dum in notitiam ejus venit. Peccatum autem cordis in notitiam alterius venire non potest, nisi per signa aliqua, quæ reducuntur ad peccatum oris, vel operis; & ideo in diffinitione scandali ponitur tantum dictum, vel factum minus rectum, & non fit merito de peccato cordis.

Ad quartum dicendum, quod occasio non semper nominat causam, sed quandoque causam per se insufficientem; & sic in diffinitione præmissa sumitur. Peccatum enim non potest habere ab exteriori aliquam causam sufficientem, eo quod voluntarium est; sed potest habere aliquam causam inducentem: quæ quidem causa quandoque per se nata est inclinare ad peccatum vel ex suo genere, vel ex intentione alicujus proponentis eam ad hoc quod aliquis inducatur ad peccatum; & tunc illud dicitur dare occasionem ruinæ: quandoque autem per accidens aliquis inclinatur ab aliquo in peccatum, quod de se non est natum inclinare in illud; sicut etiam in corporalibus aliquis in via plana impingit, & cadit; & tunc dicitur ipsemet sumere occasionem ruinæ, nulla sibi occasione ab exteriori data. Sed talis causa

ruinæ non potest scandalum nominari, quia causæ etsi quandoque nomina sortiantur ex per se effectibus: numquam tamen ab his quæ per accidens eveniunt, nominari consueverunt.

Ad quintum dicendum, quod Christus non dicitur esse petra scandali quasi per se scandali causa, quia ipse non dedit alicui occasionem scandali; sed dicitur esse in petram scandali, ita quod propositio non ordinem causæ, sed consecutionem importet, quia ex his quæ Christus fecit, consecutum est scandalum Judæorum.

ARTICULUS II.

Utrum scandalum sit peccatum semper.

Ubi supra art. 3. & 4.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod scandalum non sit peccatum semper. Nihil enim necessarium est peccatum. Sed necesse est ut veniant scandala, ut dicitur Matth. xviii. 7. Ergo scandalum non est peccatum.

2. Præterea. Umne peccatum est ex diaboli incentivo, non ex pietatis effectu. Sed Matth. xvi. ubi dicitur Petro: *Vade retro me satanas; scandalum mihi es*: dicit Glossa (Hieronymi:), Error Apostoli, tolli ex pietatis effectu venit potius quam ex incentivo diaboli. Ergo non omne scandalum est peccatum.

3. Præterea. Hieronymus dicit (& ex illo Glosæ super Matth. xviii.) *Parum distant in vitio scandalizare, & scandalizari*. Sed scandalum passivum, ut videtur, potest esse sine peccato, sicut & impactio corporalis quandoque est sine casu. Ergo & scandalum activum potest esse sine peccato.

Sed contra. Omne dictum, vel factum minus rectum est peccatum. Sed scandalum est hujusmodi. Ergo &c.

Præterea. Numer. xxxi. dicitur in Glossa (Origenis) *Longo gravius peccatum est dare peccati causam, quam peccare*. Sed quicumque scandalizat, dat causam peccandi. Ergo peccat.

QUESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non sit speciale peccatum. Quia secundum Philosophum in V. Ethic. cap. x. vel xi. *omnis specialis injustificatio quandoque invenitur separata ab omnibus aliis injustificati onibus*. Sed scandalum non invenitur separatum ab aliis peccatis, quia semper est dictum, vel factum minus rectum. Ergo non est speciale peccatum.

2. Præterea. Secundum quodlibet genus peccati contingit aliquod dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ. Sed hæc est diffinitio scandali. Ergo scandalum non est aliquod speciale peccatum.

3. Præterea. Quicumque peccat coram alio, scandalizat. Sed coram alio peccare non addit supra peccatum simpliciter aliquam differentiam specificam, sed circumstantiam quandam, sicut nec occulte peccare. Ergo scandalum non est speciale peccatum.

4. Præterea. Agens proportionatur patienti. Sed scandalum passivum non est speciale peccatum: quia quocumque peccato aliquis tuat exemplo alterius, scandalum pari dicitur. Ergo nec scandalum activum est speciale peccatum.

Sed contra. Contingit peccare in se, in Deum, & in